perfectasque vitæ humanæ actiones agere possit, ideo dicit Apostolus 1. Corin. 13. *Cum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli*, inde fit, ut præter motum generationis, quo quis vitam adipiscitur corporalem, sit etiam motus augmenti, quo idem assurgit & roboratur ad perfectam ætatem: Pari ratione, homo spiritualem consequitur etiam per Baptismum, quem Christus ipse, Joann. 3. docet esse renascentiam, ac regenerationem ad spiritualem vitam: at vero per Confirmationem homo perfectam accipit ætatem, & spiritualis vitæ robur nanciscitur. Convenit igitur, ut antequam Christianus a communi statu laicorum ad perfectiorem assurgat & elevetur statum, qui est Clericorum, sit jam spiritualiter perfectus ac præmunitus Confirmationis Sacramento. Iste autem canon, ne quis nisi confirmatus tondeatur vel ordinetur, non desumpsit a Tridentina Synodo exordium, sed ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis viguit, ut luculenter probat sancti Pontificis Cornelii epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium histor. Eccl. lib. 6. cap. 35. Ibi enim asseverat, Novatum teterrimi schismatis auctorem, in sui Sacerdotii inauguratione nullatenus sanctum Spiritum accepisse, eo quod signaculo divino non fuisset antea confirmatus ad præscriptum sacri Canonis κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, *secundum Ecclesiæ regulam*.

6. *Titulis proxime sequentibus, de vita & honestate Clericorum & de Episcopis*. Omnia Clericorum inferiorum, quæ pietatem, & ædificationem, & modestiam spectant, accurate Synodus prosequitur. Deinde pari studio & exactione cuncta recenset officia Episcoporum, qui in celsiore specula constituti, ut supra montem positi, sicut debent omnium inferiorum actiones inspicere, eisque pastorali vigilantia prospicere; ita meminisse debent se cunctorum aspectibus expositos esse; ideoque sibi elaborandum impensius, ne cuiquam sint offendiculo, sed ut universos pia sedulitate virtutumque exemplis ædificent. S. Papa Gregorius ad quatuor Orientis Patriarchas de onere Episcopali scribens lib. 1 ep. 24. paucis verbis multa & gravia complectitur, dicens: *Omni cura vigilandum est, ut animarum Rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus*.

7. Tit. de Canonicis. *Tridentini Concilii & Bonifacii VIII. auctoritate nixi decernimus, ut nulla Canonicorum, aut aliorum pactio, remissio, vel collusio fiat, aut facta vim habeat, nullumque statutum, aut consuetudo, quæcunque illa sit, valeant, quibus aut absenti quavis de caussa divini Officii, aut sacræ horæ, in qua muneri suo defuerit, aut omnino cuiquam contra quam jure communi, & ejusdem Tridentini Concilii definitum sit, distributiones quotidianæ dari possint. Quod si data fuerint, qui acceperit, nec in conscientia, nec alio modo suas faciat; sed eas restituere teneatur, disponaturque de iis juxta probatas Ecclesiæ illius constitutiones. Volumus autem ab hoc decreto excipi eos, qui infirmitate detinentur, vel alia justa caussa a sacris Canonibus permissa. Inter justas absentiæ caussas habeatur, si unum aut duos ex dignitates obtinentibus, aut Canonicis Episcopus mittat, aut secum pro consilio deducat ad visitandam Diœcesim, aut ad Concilium Provinciale, aut ad aliud pro religione vel Diœcesi urgens negotium. Non tamen diutius excusabuntur quam duraverit negotii necessitas: excusentur quoque, qui pro negotiis Capituli & de ejusdem licentia aberunt, nec numerentur in diebus absentiæ dies recessus & reditus*.

Huc spectant Tridentina decreta sess. 23. de reform. cap. 1. & sess. 24. c. 12. & c. 1. de Cler. non resid. in 6. Videtur tamen c. de cetero, de Cler. non resid. excludere Clericos, quamdiu absunt propter servitium, quod proprio Episcopo impendunt, a quotidianis distributionibus, quamvis iisdem fructus indulgeat suarum præbendarum. Et c. licet, de præbend. etsi dictos beneficiis fructus concedat Clericis cum licentia propter studium absentibus, eisdem tamen distributiones, quæ non nisi præsentibus in officiis divinis debentur, subtrahit. Certe neminem sibi socium aut adjutorem ascisci Episcopus, cui non simul vel propriis, vel Ecclesiarum impensis provideat de quotidiano victu & itinerario, ne propriis militet stipendiis: quæ utique contributio vel adæquat, vel excedit quotidianas chori distributiones. Hoc eodem titulo sub finem decernit Aquensis Synodus, præbendarum pœnitentiarum, dum inter confessionum auditionem, quibus intra Ecclesiam propriam intendit, abest a choro, perinde percipere distributiones debere, ac si præsens choro interfuisset. Quod idem fuerat in Tridentino statutum sess. 24. cap. 8. de reform. his verbis: *Qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim in choro præsens censeatur*.

Tit. de Capitulis. *Capitula ne fiant mane, sed tantum post Officium Vesperarum peractum; ne divina Officia perturbentur: & ne Canonici a Divinis Officiis abesse cogantur, nisi forte urgens & evidens ingruerit necessitas*.

Si quis instrumenta fundationum, bonorum redditiuum, privilegiorum, & jurium ad Episcopatum, aut ad Capitulum, aut ad aliquam Dignitatem, aut præbendam, aut capellaniam, vel etiam ad quamcunque Ecclesiam, & Monasterium spectantium apud se celaverit, nec intra spatium trium mensium a die publicationis hujus Synodi restituerit Episcopo, aut Capitulo, vel ipsarum Ecclesiarum & Monasteriorum Præpositis, maneat per hanc Synodum ipso facto excommunicatus: nec ab Episcopo absolvatur, donec juramento affirmaverit, omnia a se restituta. At præsens decretum volumus quotannis tum in Synodis Diœcesanis & Capitulis generalibus, tum sæpius per annum a Parochis inter Missarum solemnia publicari.

Concilium Agathense similiter providit, can. 26. *Si quis* (inquit) *de Clericis documenta, quibus Ecclesiæ possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut adversariis fortasse tradere damnabili & punienda obstinatione præsumserit; quidquid per absentiam documentorum Ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat, & communione privetur. Hi etiam, qui in damno Ecclesiæ instrumenta Ecclesiæ impie solicitatis traditoribus susceperint, pari sententia feriantur*. Habetur 12. q. 2. c. si quis de Clericis. Vide inferius annotata ad Concilium Tolosanum, tit. de rerum Ecclesiasticarum alienatione aut detentione.

Sicut non licet Episcopo res Ecclesiæ alienare sine consensu Capituli, vel Superiorum auctoritate: ita vicissim nec Capitulo sine cognitione & licentia Episcopi atque aliorum Superiorum.

Vide Agathensem can. 7. & apud Gratianum c. cassellas, 10. q. 2.

8. *Creationes in Canonicum* (id est Coadjutorias Canonicales cum spe aut certitudine futuræ successionis) *tamquam votum captandæ mortis inducentes omnino prohibemus, ne de cetero ullo modo fiant sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ: jam factas vero, quæ hactenus effectum sortitæ non sunt, irritas ac nullas declaramus, atque pro infectis haberi volumus, minimeque ab aliquo servari sub eadem excommunicationis pœna*.

Damnatur omnis promissio beneficii nondum vacantis, c. nulla, c. ex tenore, & c. fin. de concess. præbendæ; & c. detestanda, eodem tit. in 6. & Concil. Trid. sess. 24. cap. 18.

Tit. de Beneficiariis & Mansionariis. *Præstent Beneficiati hujusmodi, ac Mansionarii per se ipsos proprium officium in choro; & cum oportuerit, ad lectorile accedant, Antiphonas, Responsoria, & alia hujus generis canant, quoties opus fuerit, pluviale induant; & cetera præstent tam in Psalmis psallendis, & Missis celebrandis, quam ceteris, quæ ex fundatione, statutis & consuetudine præstare tenentur. Et ut Beneficiati seu Mansionarii hujusmodi ad prædicta adimplenda capaces assumantur; beneficiaturæ seu mansionariæ prædictæ, tam Ecclesiarum Cathedralium, quam Collegiatarum dictæ Provinciæ, & antiquioribus, & in cæremoniis & musica peritioribus Clericis, Ecclesiæ & Capitulo inservientibus, ad instar Metropolitanæ Ecclesiæ tantum conferantur*.

9. Tit. Quæ pertinent ad Beneficiorum collationem. *Conficiatur liber, isque in omni Episcopali archivio asservetur, in quo libro omnium Diœcesanorum beneficiorum cujusvis generis, tum vacationis certa dies, modus, ratioque describatur; tum collationes ac provisiones quæcunque sint, vel a Summo Pontifice, vel ab illustrissimo Legato, vel ab Episcopo, vel ab alio quovis factæ, litterarum ac diplomatum exempla, vel sententiæ summatim explicatæ, prout potius Episcopus censuerit, in eumdem referantur. Idem servetur de litteris Ordinum, quibus singuli ejusdem Diœcesis Clerici initiantur*. (Et paucis interjectis:) *Quicunque de aliquo beneficio etiam per litteras Apostolicas fuerit provisus, teneatur intra tres menses a die adeptæ possessionis inventarium omnium bonorum, jurium, & onerum illius beneficii Episcopo exhibere; Si id omiserit, Episcopi arbitrio puniatur*, (scilicet ut paullo post subjungit) *per censuras Ecclesiasticas, retentionem fructuum, atque privationem eorumdem beneficiorum, & & alia juris remedia*.

Huc pertinet Henrici Regis eo nomine secundi edictum

ctum apud Fontem Bellaqueum anni 1553. præscribens instrumentorum omnium beneficialium apud tabellarium Episcopale, litterarumque Tonsuræ, atque ordinationum insinuationem, sub pœna amissionis jurium ejusmodi scripturis quæsitorum.

Tit. de Vicariis foraneis. Cum primum Alexander Canigianus Aquensem Archiepiscopatum iniit, nihil prius aut antiquius habuit, quam ut se ad regimen S. Caroli Borromæi conformaret, adveniensque in propriam Diœcesim, ejus exemplo sodalitatem Christianæ doctrinæ per omnes Ecclesias sibi subjectas instituit, necnon Seminarium in primaria civitate, distribuitque Vicariis foraneis certas Diœcesis regiones, quarum singulæ octo circiter parochias complectantur, in quarum medio fixam sedem habentes singulos ibi degentes Parochos, aliosque sacra ministeria obeuntes Clericos, semel unaquaque hebdomada congregabant: invocatoque Divino Numine pastorales exhortationes nunc per se, nunc per alios Sacerdotes pronunciari curabant. Deinde capitula quæstionum conscientiæ proponebantur, & disceptabantur, tum etiam difficultates, quas quisque habebat, communi collatione disceptabantur, ac resolvebantur. Invigilabat Vicarius foraneus moribus & ministeriis Parochorum, & aliorum sibi commissæ regionis Sacerdotum; præterea que cultui & reparationi Ecclesiarum, & ubicumque opus erat, ad Episcopum referebat; etiam de ordinandis regionis suæ Clericis, an idonei, an incapaces ac aliquo defectu laborantes. Istiusmodi Vicarii jurisdictionem nullam habent, nisi quam libuerit Episcopo ipsius impertiri, suntque amovibiles.

11. Alterum anno 1612. prodiit Aquense Concilium, Paulo Huralto Hospitali Aquarum sextiarum Archiepiscopo præsidente, præsentibus suffraganeis Episcopis Forojuliensi, Rejensi, & Sistaricensi, quo damnatus prohibitusque venum exponi, teneri, ac legi anonymus quidam liber inscriptus, *de Ecclesiastica & politica potestate*.

Eodemque anno alterum Provinciale Concilium Senonense Parisiis coactum fuit, cui præsedit præcellens illud ingenii doctrinæque lumen Jacobus Perronius Archiepiscopus Senonensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, quo idem liber pari quoque censura & damnatione perstrictus fuit.

CONCILIUM TOLOSANUM

Anni 1590.

1. Franciscus de Jojosa S. R. E. tituli Sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio Presbyter Cardinalis, Archipræsul Tolosanus, istud Provinciale Concilium habuit mense Majo ann. 1590. Edita in primis fidei professione, Concilium sua ab Episcopis sumit primordia: *Quos in custodia Sanctuarii Dominus excubare jussit, speculatoresque domui suæ præfecit, eos aut incuria desidere, aut inertia dormitare, ut turpissimum ita perniciosissimum est. In id igitur Episcopi quam maxima poterunt diligentia incumbant, ut creditos sibi populos conservent, errantes in viam reducant, perditos requirere & recuperare nitantur*. Episcopos animarum pastores bonus Pastor Christus Dominus Matth. 5. *Lucis mundi & Salis terræ* titulis illustrat. Qua ratione Concilium Forojuliense, cui Paulinus Aquilejensis præsedit anno Christi 791. sub Hadriano primo Pontifice, & Carolo Magno Francorum Rege, hæc admonet cap. 2. *Si ergo lux mundi sumus, lucere utique absque nebulosa hypocrisis admixtione debemus: & si sal terræ sumus, condire terrenas mentes sapientiæ sapore per verbum prædicationis debemus*.

2. Sub eodem tit. de Episcopis, Concilium Tolosanum ita hortatur: *Officiarios maxime Officiales & Promotores, & morum probitate & eruditione, quoad fieri potest, conspicuos Episcopi habeant*.

Sciendum, antiquo jure Archidiaconis incubuisse, jura omnia & potestatem, quam posterioribus sæculis Episcopi propriis Vicariis & Officialibus conferre solent. Atque ita si quando Archidiaconus ab Episcopo dissentiret, aut si aliqua simultas vel suspicio inter ambos subortiebatur, Episcopus tametsi invitus illum pati cogebatur Archidiaconum secum non convenientem, quippe qui minime erat amovibilis: adeo ut ex eorum dissensione mutuaque æmulatione detrimentum Ecclesia sustineret, aut etiam in diversas partes discinderetur. Quibus incommodis obviam itum est, ex quo inolevit consuetudo, ut Episcopi sibi Vicarios generales atque Officiales, quos visum sibi esset, eligerent. Antiquissimus liber inscriptus: *Ordo Romanus*, hæc perhibet de Archidiaconi potestate: *Ut Archidiaconus post Episcopum sciat, se esse Vicarium ejus in omnibus, & omnem curam in Clero tam in urbe positorum, quam eorum, qui per Parochias habitare noscuntur, ad se pertinere: sive de eorum conversatione, sive onere aut honore, & restauratione Ecclesiarum, sive doctrina Ecclesiasticorum, vel ceterarum rerum studio, & delinquentium rationem coram Deo redditurus est. Et ut de tertio in tertium annum (si Episcopus non potest) Parochiam universam circumeat; & cuncta, quæ emendatione indigent, ad vicem sui Episcopi corrigat & emendet*. Sanctus etiam Clemens Papa & martyr Archidiaconum esse ait Oculum Episcopi. Sed ista Archidiaconorum amplissima potestas intra limites arctiores reduci cœpit post quartum Lateranense sub Innocentio tertio generale Concilium, quo potestas Episcopis collata est, sibi Vicarios generales creandi; primum quidem occasione regionum sub una eademque Diœcesi diversis linguis utentium, ut refertur in c. quoniam, de offic. jud. ord. sed sensim ex hoc principio usus obtinuit, ut illimitate licitum sit Episcopis Vicarios universæ Diœcesi vice sui præficere, ad voluntariam jurisdictionem, quemadmodum & officiales ad contentiosam, aut utriusque potestatis exercitium, si ei videatur, in unam eandemque conferre personam.

3. Alia quoque hoc titulo Episcoporum officia Concilium prosequitur, nimirum ut Parochis invigilent, eos admoneant, adhortentur, navatæ in custodiendis commissis sibi gregibus operæ rationem reposcant. Commonefacit Antistites, ut faciles adeuntibus se præbeant, eumque modum audiendis, alloquendis, adjuvandisque omnibus adhibeant, ut homines non magis humanitatem ipsorum diligere, quam gravitatem venerari possint. Item ut scandala eliminent, moribus invigilent, verbum Dei dispensent, Ecclesiarum visitationibus & reparationibus sedulam navent operam, & inter visitandum Confirmationis Sacramentum administrent, familiam suam pietate informent, atque in honestate & modestia contineant, Divinarum Scripturarum lectioni sacrisque studiis incumbant, cum peritioribus ac sapientioribus Ecclesiasticis utiliter colloquantur, scholarum & seminarii sollicitudinem gerant, sanctis meditationibus singulis diebus vacent, frequentes ad Deum preces & sacrificium pro commissi curæ suæ gregis incolumitate & salute effundant, pauperum & miserabilium personarum calamitatibus, quanta fieri poterit caritate, subveniant, & oppressis opitulentur, puellarum viduarumque pudicitiæ periclitanti consulant. Pium & prudentem Sacerdotem familiæ suæ præficiant, qui domesticos & sigillatim, & in commune divinis institutionibus informet, eorum moribus invigilet, sacrificio Divino interesse singulis diebus curet, & communibus serotinis precibus; provideatque in Episcopium acciri externum & probum Sacerdotem, cui omnes singulo quoque mense confiteantur. Admonet Episcopos ista Synodus, ut mensa utantur frugali, curentque, ne in ea lectio conducibilis intermittatur. Harum præceptionum magna pars habetur in Tridentini Concilii sessione 2. & in ejusdem sess. 25. cap. 1. de reform. Hæc omnia superius enunciata eo maxime tendunt, ut Ecclesiarum animarumque regimini, vel Cleri institutioni hi maxime præficiantur, quos & sacra religio, & in gubernando prudentia, & morum sanctitudo, & studium salutis animarum præcipue commendant. Hujusmodi officio invigilandum est Prælatis Ecclesiasticis: neque his duntaxat, sed etiam Regibus, quorum sollicitudo & pietas ad id valde conferre potest, ut nonnisi optimi Præsules promoveantur. Idque eleganti similitudine illustrat sanctus Gregorius Magnus lib. 4. epist. 53. ad Childebertum Francorum Regem, sic eum exhortans: *Certum namque est*, inquit, *nos vos ante exercitui ducem præponere, nisi vobis labor ejus, fideque probata constiterit, nisi eum anteacta vitæ virtus & sollicitudo aptum esse monstraverit. Si vero non aliis nisi hujusmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis dux esse debeat animarum intra Ecclesiæ castra, ex istius bene rei comparatione colligitur. Sed verecundum nobis est, & dicere pudet, quia ducatum sibi Sacerdotes arripiunt, qui exordium religiosæ militiæ non viderunt*.

4. Ex tit. de rerum Ecclesiasticarum alienatione. *Ut rerum Ecclesiasticarum conservationi tutius in posterum provideri queat, omnes & singuli Ecclesiarum, præbendarum, confraternitatum, piorumque locorum omnium Rectores, Administratores, & vero Metropolitani Suffraganeorum Capitula, rerum omnium mobilium & immobilium, jurium, censuum, bonorumque aliorum inventarium Notarii publici, duorumque aut trium ex antiquioribus civitatis laicorum manu obsignatum, intra duos ab hujus decreti publicatione menses conficiant. Hujus inventarii duo exempla, eaque notarii ejusdem signo laicorumque eorumdem manu subscripta describantur. Alterum in communi Episcopi Capitulique archivio, si Cathedralis Ecclesia fuerit, servetur: ad Metropolitanum alterum mittatur. Collegiata*

unum